



320  
20

Z. n. 18.



18. iij.



5  
4.

ILLUSTRIS  
AUGUSTEI  
NATALEM LXI.

EX  
PIENTISSIMA  
FUNDATORIS DIVI AUGUSTI  
VOLUNTATE

ET  
MANDATO CLEMENTISSIMO  
*SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI*

DOMINI  
CHRISTIANI

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM ANGARIÆ  
ET WESTPHALIÆ LANDGRAFI THURINGIÆ MARCHIONIS MISNIÆ ET UTRI-  
USQUE LUSATIÆ COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGÆ COMITIS  
MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBLÆ DYNASTIÆ  
RAVENSTEINII &c. &c. &c.

*PRINCIPIS AC DOMINI ET NUTRITORIS NOSTRI LONGE  
CLEMENTISSIMI*

PIE SANCTEQUE CELEBRANDUM  
INDICIT

ET  
AD ORATIONEM PANEGYRICAM

*D. I. NOVEMBR. MDCCXXIV.*

IN AUDITORIO ILL. AUGUSTEI MAJORI

BENIGNE AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-  
STROS UTRIUSQUE REIPUBL. PROCERES ET LITERA-  
RUM FAUTORES UT ET ILL. AUGU-  
STEI CIVES

OBSERVANTISSIME HUMANISSIMEQUE  
INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS SS. TH. B.  
CONSIL. SAXO-WEISSENF. ILL. AUGUSTEI RECTOR ET P.P.



Inter varia ingeniorum portenta, quæ multorum seculorum intervallo excludit Satanas, nulla orbi Christiano forte extitisse magis nociva, quam quæ Scholarum & Academiarum divinam originem, necessitatem & utilitatem impugnarunt, ipsa inde secuta barbaries, incititia, impuritas morumque improbitas probat & contestatur. Quo enim magis Divinum Scholarum institutum ad evertendum Satanæ regnum ordinatum est, eo magis infensissimus Generis Humani hostis eidem adversatur & per organa sua obloquitur. Videmus hoc in Veterum memoriis & historiis abunde, hodieque observamus in Observationibus, quarum Auctores nec originem scholarum Divinam admittunt, nec utilitatem tantam esse sentiunt, quanta communiter putetur, & necessitatem prorsus omnem negant. De Statu integritatis, in quo homines primum creati sunt, non est, quod laboremus; licet omnis informatio ibi exulare debuisset dicendum non sit. Nam CHRISTUS ipse in imagine Divina natus est & tamen crevit sapientia Luc. 2, 52. & per Sacrarum Literarum lectionem, informationem & meditationem didicit. Et Angeli in Statu confirmationis habent, quæ facta revelatione & secuta experientia discant. Multo magis Homines, si etiam in primo Naturæ integræ Statu mansissent, habuissent, quod in congregationibus suis tractassent, didicissent & excoluissent. Vid. *Lutherus* Comment. in Gen. c. 2. *Pol. Lyserus* in Hist. Adami p. 347. sq. Sed hæc de Statu integritatis facile jam mitimus. In Statu autem corruptionis necessitatem Scholarum ipsa congenita ignorantia nobis imponit, & obligatio Parentum eaque & Naturæ & Scripturæ Divinam Scholarum originem arguit. Ut enim Parentibus cura incumbit de corpore alendo in filiis: ita etiam & multo magis Liberos suos educare debent in pietate morumque probitate. Hoc ex lumine Naturæ agnoverunt Gentiles, & studium sapientiæ atque virtutum suos docuerunt. Multo magis hoc Sanctos Dei homines Patriarchas & Prophetas ex instinctu naturali & ex Divino mandato fecisse certum est: nec dubium ullum, quin Adamus cognitionem Dei & promissionem de semine mulieris filios suos & filiorum filios docuerit. Hoc demonstrant ipsa Sacrificia Caini & Abelis Gen. 4, 3, 4. qui posterior in primis fide obtulisse sacrificium suum aperte legitur Ebr. 11, 4. Fides vero est ex audita Rom. 10, 17. nec sine rerum divinarum notitia existit, nec hæc carere institutione potest. Et quo magis Genus humanum fuit per generationes multiplicatum, eo fieri id debuit magis in cœtibus amphioribus. Sic Enoch propheta esse memoratur in ep. Judæ v. 14., quod certe in congregatione factum intelligitur. Noachus Præco justitiæ appellatur 2. Petr. 2, 5. Ubinam vero justitiæ prædicavit, nisi in cœtibus publicis? quod ad aures omnium pervenit. Abrahamus laudatur ab ipso Deo: *Scio, inquit Jehovah, quod filius suis præcipiet, & semini ejus post se, ut viam Jeshovæ custodiant*: Idemque ex mandato Divino omnibus inculcato & sæpius repetito fecerunt Israelitæ, sicuti patet ex Gen. 18, 19. Exod. 12, 26. sqq. c. 13, 8. 14. Deut. 4, 10. c. 6, 7. c. 11, 19. c. 32, 46. Joh. 4, 21. sq. Pl. 78, 4. El. 38, 19. Nec est, quod Parentibus hoc vindicent in colloquiis fortuitis & domibus privatis, ex communi Naturæ & Legis Divinæ præscripto, idem vero competere negent iis & aliis in cœtibus publicis, ut alienos liberos informant. Nam ipsi Observatores, teneri Patres familias quoquo modo ad informandos non tantum liberos sed & servos & extraneos, facile admittunt, animadvertentes, illam Patrum familiarum obligationem esse naturalem & divinam in docenda familia, quæ ex liberis, servis ancillis

ancillis & horum quoque liberis constat. V. Tom. 1. Obf. Hal. p. 19. & 301. Deinde nec hoc negare audent, nec a quoquam mentis compote negari potest, sæpe imponi Parentibus & Patribus familias hanc necessitatem per imbecillitatem intellectus, per propriam infirmitatem, per diuturnos morbos, per labores alios aliaque commissa negotia & diversa Studia, imo per ipsam præmaturam sæpe mortem, idque in amplis locis ut plurimum plurimis, ut hoc suæ obligationis caput committere & relinquere cogantur aliis, qui tum æque Parentes fiunt & Patrum officio funguntur & nomine Patrum appellantur. Et quid? anne piissimus Rex David tenerrimo affectu prosequens Salomonem filium tradidit ipsum Prophetæ Nathani ad informandum 2. Sam. 13. 15? An forte putaveris Davidem ipsum informare debuisse filium, & deserere administrationem regni? Anne colloquia fortuita sufficere poterunt? Hoc certe Davidi Nathan indicare ante debuisset quam Observator nasceretur. Sic Daniel & ejus commilitones mandato Regis ab aliis informari debuerunt, Deo annuente & progressibus ipsorum benedicente Dan. 1. 4. 17. Minime etiam omnium Prophetæ contra Dei voluntatem fecisse censentur, quod aliorum filios informarunt eosque in suis congregationibus fundamenta omnis sapientiæ & cognitionis Divinæ docuerunt: qui exinde Prophetarum filii nominantur. 1. Reg. 20. 35. 2. Reg. 2. 3. &c. Quod ergo prædictis aliisque casibus naturales Parentes committere debent aliis Tutoribus ac Præceptoribus, ut suis liberis de fidele informatione prospiciant, illud Superiores & supremi Magistratus Reges & Principes tanquam Patres Patriæ, quos scriptura ipsa Patrum & Nutritorum nomine ornat Gen. 45. 8. 1. Sam. 24. 12. 2. Reg. 5. 13. Esa. 49. 23. per constitutionem Scholarum efficere eadem necessitate adiguntur. Scholæ enim & Ecclesiæ, prout sunt officina veræ cognitionis Dei, eodem necessitatis gradu ambulant. Hinc ipsi Observatores inter Scholam & Ecclesiam hac in parte non adeo multum discriminis esse utro fatentur: ut utrinque habeant, quod carpant in modis docendi, aut nunquam probatis, aut male reprehensis. Sive enim teneram spectemus ætatem in Scholis minorum clausura: nam & hæc ætas ad veram Dei cognitionem ducenda est æque ac adultiores in Ecclesiis; sive juvenilem ætatem, quæ in Gymnasiis & Academiis perficienda est & adaptanda, ut Ecclesiæ in omnibus tribus Statibus Politico Ecclesiastico & Oeconomico inservire queat: quod magis equidem in Scholasticis, quam Ecclesiasticis congregationibus fieri potest: Utrunque obligatio eadem est, eademque necessitas & ad eundem finem Divinæ gloriæ & salutis humanæ omnia tendunt. Hinc a prima ætate Hebræi in V. T. suas scholas habuerunt, & postea Levitæ easdem congregarunt, & continuarunt Prophetæ, & in N. T. præeunte Christo & Apostolis in Scholis & Synagogis & Oratoriis docentibus, Christiani in toto orbe amplificarunt. Certe in omnibus locis & præcipue in Levitarum urbibus de quibus Num. 35. & Jos. 21. agitur, fuerunt ab antiquissimis temporibus Scholæ, in quibus prælectus est Moses. Hoc legitur Act. 15. 21. μαθητῶν γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τῶν κηρύσσοντας αὐτοῖς ἕκαστὸν τοῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν τόπον ἀναγινώσκοντες. Huc pertinent: כְּרִיתֵנוּ אֶל מוֹשֶׁה אֵל פִּלְמֹן 74. 8. & quæ de Urbe *Abela*, *Jabez*, *Ramath* aliisque in numeris leguntur. Vid. *Leidecker*. de R. H. p. 526. *Luadius* Jüd. Heiligth. p. 830. 199. *Heubner*. de Academ. Hebr. &c. Adeo, ut quæ *Nicolaus Longobardus* in Ep. de Statu Regni Sinenf. p. 20. de Sina refert, tot Academiis in ea regione esse, quot urbes, adferere possumus de Hebræorum Scholis. Si quidem ex doctrina *Talmudicorum* omnis locus, in quo non Schola fuit, pro excommunicato habitus fuerit. Et in una Civitate Hierosolymorum quingentas scholas olim numerarunt, in quibus Cathedra Moysi, in qua federunt & docuerunt Judoæorum Magistri, eosque in hac Moysi cathedra audiendos jusit Christus, qui & ipse in his Scholis docuit & suos etiam habuit Discipulos, quos docuit, & ut docerent alios instruxit. Utrum autem

autem major ubique sit necessitas cognitionis rerum Divinarum: tamen humanarum scientiarum ad necessitates humanas faciendum institutio exulare a societatibus humanis nec potest nec debet. Nam Deus ipse has quoque artes commendavit, promovit & adhiberi iussit. Nec, quæ sint scientiæ necessariae, bonæ & utiles, ex iudicio otiosorum oforum, sed ex commodis generis humani aestimandæ est. Quod enim uni non expedit & necessarium est, alteri expedit, ut eo carere non possit, saltem ut cimetius sit & rectius & commodius vivat. Et hoc integris sæpe societatibus contingit. Ideoque variarum disciplinarum, artium & scientiarum officinæ esse Scholæ debent, ex quibus prodeant, qui vel Ecclesiæ, vel Politicæ, vel œconomiæ commodis inservire possint, & usui esse in variis casibus societati Humanæ. Cæterum pro navis & abusus in Scholis non pugnabimus, sed de iis dolemus ipsi, & Summos Scholarum Curatores & Scholarchas exoratos cupimus, ut de iis tollendis serio cogitent & emendanda emendent. Attamen hi navis & abusus Usum Scholarum earumque necessitatem infringere non possunt nec imminuere. Abusus enim in rebus divinæ obligationis nunquam tollit usum, quin nec in rebus aliis, nisi ubi abusus major demonstratus manifesto fuerit usu. Quæ vero de modis & methodis docendi aliisque circumstantiis Scholarum, quæ multum variant, adjiuntur, illa omnia non variant rem. Erudiendam esse ex Voluntate Divina juventutem in cognitione Dei & operum Divinorum, in scientiis & artibus apud omnes in confesso est. Et est juris naturalis & Divini, Hoc fieri non semper posse a parentibus itidem planum est. Aliis ergo hoc committendum esse, ultro sequitur, sive auctoritate Parentum & Tutorum in scholis privatis, sive provida & necessaria cura Superiorum in scholis publicis. Quæ pro origine Divina, necessitate & utilitate Scholarum sufficiunt. Nec facile deerunt Scholarchæ, qui modos docendi præscribant, nec Præceptores idonei, qui sequantur, quod optimum est pro indole Auditorum, videntque quæ juste reprehenduntur. Atque ita habebimus Scholas & Academiæ ex Divina obligatione institutas, bene ordinatas & minus reprehendendas, Vetusissimum illud Scholarum institutum & Divinum & necessarium & quod laudabiliter imitaretur in fundando hoc *ILL. AUGUSTEO*, iudicavit quondam *Reverendissimus ac Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus AUGUSTUS, Archiepiscopus Magdeburgensis, Postulatus Administratoz, Dux Saxonie, Julie, Clivie ac Montium, Angarie & Westphalie &c. &c. &c.* beatissima gloriosissimaque memoriæ. Hanc igitur *Domum Sapientiæ Augustam a Dido AUGUSTO* laudatissime fundatam, liberalissime dotatam & hoc ipso diei Novembr. ante hos LX. annos solennissime inauguratam, *tribus columnis nixam firmiterque stantem & perennantem* hoc solenni Festo contemplaturi sumus & de ea Deo gratias acturi. *Huius Solennitati, ut Illustres Aule Serenissime Ministri, Utriusque Reipubl. Proceres & Literarum Fautores una cum Ill. Augustei Civibus exoptatissima frequentia interesse ne graventur, est quod observantissime humanissimeque rogo atque oro.*

P. P. Dom. XXI. Triast. MDCCXXIV.

*Leucopetra,*

Literis G. A. Legii, Aul. & Augustei Typogr.

Nr 885.  
40

ULB Halle  
001 556 347



So.

Witt

2. C.







5  
4.

ILLUSTRIS  
AUGUSTEI  
NATALEM LXI.

EX  
PIENTISSIMA  
FUNDATORIS DIVI AUGUSTI  
VOLUNTATE

ET  
MANDATO CLEMENTISSIMO  
*SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI*

DOMINI  
CHRISTIANI

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM ANGARIÆ  
ET WESTPHALIÆ LANDGRAFI THURINGIÆ MARCHIONIS MISNIÆ ET UTRI-  
USQUE LUSATIÆ COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGÆ COMITIS  
MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ DYNASTÆ

RAVENSTEINII &c. &c. &c.  
*PRINCIPIS AC DOMINI ET NUTRITORIS NOSTRI LONGE  
CLEMENTISSIMI*

PIE SANCTEQUE CELEBRANDUM  
INDICIT

ET  
AD ORATIONEM PANEGYRICAM

*D. I. NOVEMBR. MDCCXXIV.*

IN AUDITORIO ILL. AUGUSTEI MAJORI  
BENIGNE AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-  
STROS UTRIUSQUE REIPUBL. PROCERES ET LITERA-  
RUM FAUTORES UT ET ILL. AUGU-  
STEI CIVES

OBSERVANTISSIME HUMANISSIMEQUE  
INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS SS. TH. B.  
CONSIL. SAXO-WEISSENF. ILL. AUGUSTEI RECTOR ET P. P.

